

De

## Homero multiscio atque naturae conscio.

**H**omeri nomine, de quo quid sentiam ut statim ab initio libere et breviter dicam, non unum eundemque poetam, qui vulgo creditur, sed plures illos diversosque Ionum poetas, quorum singulis carminibus Ilias et Odyssea inde a Pisistrati temporibus compositae et coagmentatae sunt, significare equidem non dubito: etenim non esse hoc utrumque carmen unius poetae opus, ita extra dubitationem positum confirmavit Godofr. Hermannus, Fr. Aug. Wolfio facem ad has quaestiones praefereute plurimisque viris doctissimis iisque principibus talem coryphaeum sequentibus, ut, qui secus sentiret, eum non satis lectitasse illa carmina contenderet<sup>1)</sup>. Hunc igitur Homerum quum omnis Graecae poeseos, quae ipsa vias ad meliorem vitae ingeniorumque cultum patefecit rudioresque animos moresque praeceptis et institutione ad humanitatem formaverit, summum exemplum, tum primum ceterarum doctrinarum et antiquitatis parentem, ut Plinii verbis utar<sup>2)</sup>, ac fontem quasi perennem haberi, ex quo omnes fere scriptores utriusque sermonis hauserint, non est quod hoc loco multis exponam, neque alio argumento luculentius intelligitur, quam quod ab innumerabili rerum, quae in utroque poetae Ionici carmine vel obiter commemoran-

1) Verba viri immortalis, quae mea feci, leguntur in Praef. de Homeri lectione, ad Odysseam ed. stereot. Lips. 1825, repet. in Hermanni Opusculis, Vol. III., q. 74. sqq. Quae Greg. Guil. Nitzschius, omnibus et eruditionis Homericae et ingenii acutissimi copiis instructus, contra disputavit, ea in examen vocare tantasque, quae a doctissimis viris iisque reipublicae literariae principibus de hac re agitatae sunt, lites componere, et ab hujus libelli consilio alienum est, et virium mearum tenuitatem superat. Summo cum studio hanc causam nostra aetate persequuti sunt post Spohnium Lachmannus et Lauerus Berolinenses, praematura morte nuper literis et Homero erepti, editis quaestionibus Homericis, quibus evidenter demonstratum est, carmina poetae, qualia nunc habemus, ab uno poeta proficisci non potuisse.

2) Hist. Nat. lib. XX. c. 5.

tur vel accuratius describuntur, multitudine et varietate sumitur. Inter eos, qui primi in has amplissimas scientiae Homericae opes inquirerent, fuit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, Ptolemaeo Philometore regnante illustris et Stoicae disciplina addictus; idemque a singulari studio poetae Homericus dictus est et criticus<sup>3)</sup>, conditor scholae sive sectae discipulis φιλομήροις celebris, quae Pergami, Attalo Philadelpho rege, Olymp. CLV et sequenti aetate floruit. Idem fuit Crates, qui inter secundum et tertium bellum Punicum legatus missus ad senatum Romanum ab Attalo, primus Graecarum literarum doctrinam in Urbem pertulit, ubi plurimas acroases sive recitationes fecit assidueque disseruit, ac Romanis exemplo fuit ad imitandum<sup>4)</sup>. Ex hujus clarissimi critici commentariis, ex quibus Strabo aliique scriptores et grammatici nonnulla excerpserunt, facile intelligitur, illum inprimis fuisse, qui in Homero multiplicem literarum eruditionem ex more aetatis Alexandrinae quaereret et poetam in philosophum, mathematicum, astronomum et quidvis potius aliud converteret, quam quod ipse esse voluerat. Luculentus de hac re locus est Strabonis, in quo de fide Homeri historica disserens non ineptos fuisse ait, qui fidem illarum narrationum de Ulixis erroribus ac multiplicem poetae peritiam sequuti, poesin ejus ad quaestiones scientiae augendae accommodatas traduxerint, uti fecerit Crates Mallotes<sup>5)</sup>. Tantum quidem abest, ut hanc Cratetis ineptam in explicandis fabulis sapientiam mirer et sequar, ubique allegorias investigantis aut res personasque a poeta descriptas ad physicas rationes et experimenta trahentis, quo nihil absurdius et a veritate alienius cogitari potest<sup>6)</sup>: ut etiam talem Homeri explicandi rationem ac viam perversam ac praeposteram habeam, quippe quae a vero ad ineptias ducat. Nihil secius tamen neminem infitiatum esse arbitror, si modo semel carmen utrumque vatis Maeonii perlegerit et aliquam rerum, quae eo continentur, cognitionem sibi pepererit, in poeta „nullius non artis aut perfecta aut certe non dubia

3) Suidas s. v. *Κράτης*: ὃς ἐπικλήθη Ὅμηρικὸς καὶ κριτικὸς. Vide Fr. Aug. Wolfii Prolegomena ad Homer. p. 276 sqq. Bern. Thiersch: de schola Cratetis Mallotae Pergamena. Tremoniae 1834. 4.

4) Sueton. de viris illustribus sive Grammaticis c. 2.

5) Lib. III. c. 4. T. 1. p. 253 ed. ster. p. 157 ed. Casaub. Sermo est hoc loco de iis Homeri commentatoribus, qui ἀνταῖς τε ταύταις ταῖς ἱστορίαις πιστεύοντες καὶ τῇ πολυμαθείᾳ τοῦ ποιητοῦ (Ὁμήρου), καὶ πρὸς ἐπιστημονικὰς ὑποθέσεις ἔτρεψαν τὴν Ὁμήρου ποίησιν, καθάπερ Κράτης τε ἔ Μαιλλώτης ἐποίησε καὶ ἄλλοι τινες.

6) Plurima hujus temeritatis exempla dedit Heraclides Ponticus in libello de allegoriis Homeri, ineptiarum referto.

vestigia reperiri<sup>7)</sup>, idque verissimum Quintiliani iudicium nemo adhuc, quod equidem scio, extitit, qui refutaret falsumque esse argueret. Neque igitur falso laudatur Homerus „multiscius vel potius cunctarum rerum apprime peritus atque naturae conscius“<sup>8)</sup>. Verum non solum scientia naturae inclaruit, sed etiam singulari et eximia res naturales accurate, plane, perspicue et, quod maximum est, vere describendi arte exemplum omnibus poetis et scriptoribus ad imitandum proposuit. De qua ingenii Homerici praestantia quum censores quidam antiquae poëseos dubitaverint, quippe qui sensum naturae ejusque pulchritudinis animo excipiendae et res naturales earumque mutationes, motus, formas, proprietates, et quae sunt alia ejusmodi, ita describendi facultatem, ut res veluti praesentes animo intuens ipse pulchri sensu commovearis et suaviter afficiaris, omnino Graecis itemque Romanis scriptoribus abjudicent, illumque sensum et gustum quendam naturae solis Germanis gentibus quasi innatum et insitum esse contendant, speciosa magis quam vera certaque argumenta afferentes: operae pretium facturum me esse spero, si de Homericæ naturae scientia atque de rerum naturalium descriptionibus, quae in Iliade et Odyssea leguntur, paullo accuratius disquisiverim. Atque ut ratione ac via procedat haec quaestio, ita in ea tractanda versari lubet, ut primum quae in utroque carmine Homericæ eruditio- nis documenta et veteres et recentiores commentatores reperisse sibi videntur, summam attingam; deinde, quoniam in tabula marmorea sculptor Graecus, Arthelaus Priensis, non mediocri artificio virtutes ingenii et doctrinae Homericæ humanis formis figuratas expressit, a re non alienum visum est, anaglyphi illius, quae Homeri apotheosis nuncupatur, brevem et, sicubi fieri potest, in nonnullis emendatam addere descriptionem; denique desinet hoc commentariolum in quaestione supra posita, Homero quae fuerit scientia naturae atque ars in describendis rebus naturalibus conspicua. Quo scriptionis hoc tempore publicandae argumento sumpto, priusquam rem, uti proposui, aggrediar, lectores bene- volos ea qua par est humanitate ac modestia monitos esse velim, non Zenodoti, Aristarchi aliisque principibus criticis Zoilisve hujus aetatis vituperatoribus haec me scripsisse, sed nostrae scholae discipulis, Homeri carmina assidue lectitantibus, meam hanc qualemcun-

7) Quintil. inst. or. lib. XII. c. 11. T. II. p. 389 ed. Bip.

8) Sunt haec verba Apuleji, ex oratione de magia s. Apologia sumpta (ed. Bip. T. II. p. 36), et Macrobi, Sa- turnal. lib. I. c. 12 et VII. 13. (T. I. p. 156. T. II. p. 263:) ubi, Homerus, inquit, solus fuit na- turae conscius; — in omni re naturam sequutus est.

que opellam nonnihil commodi allaturam esse et spero et quam maxime cupio. Extat vetus instar proverbii versiculus, quem Orphei esse dicunt, a Platone servatus in dialogo, qui Phaedo inscribitur 9):

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῖροι δὲ τε Βάκχοι.

Quae verba apertum est ad orgia Liberi patris spectare, quem magna quidem ministrantium thysigerorumque comitum grex sive *θίασος* sequebatur, at pauci sacris dei rite initiati sive mystae, qui Bacchi appellari solebant. Jam quod Orpheus de paucitate verorum Bacchi assecularum et sacerdotum cecinit, idem de Homeri interpretibus, commentatoribus criticisque censoribus dici potest, quos paucissimos sacris divi Homeri vere initiatos videre licet: quique tales haberi volunt, ex Homero ipso, si eum repetita lectione bene cognoverint et in succum et sanguinem converterint, ante omnia modestiam discant suique rectam conscientiam, ne soli sibi Homerum sapere videantur, neve quum sibi semitam non sapiant, alteri monstrent viam<sup>10)</sup>.

Jam primum una et consentiens omnium et antiquorum et recentiorum *φιλομήρων* vox poetam Ionicum multiscium et doctrinae omnigenae auctorem praedicat. Ab hoc enim principe poetarum ceu fonte perenni, ut cum Ovidio loquar<sup>11)</sup>, quum omnium vatum ora aquis Pieriis rigari, tum potissimum epicos Graecorum et Romanorum poetas Maeonium felici pectore fontem bibisse, nemo potest ignorare, nisi qui ipse utriusque gentis carmina ignorat. Est enim profecto Homerus epicae poeseos auctor atque, ut humana natura fert, perfectissimum exemplum, quoniam vetustiorum vatum laudes carminum interitu ex memoria hominum funditus sublatae et perpetua oblivione obrutae sunt. Itaque mirum non est, tantam esse plerorumque epicorum cum Homero similitudinem et affinitatem quandam, ut non solum singula imaginum comparationumque argumenta, sed etiam totam rerum tractandarum rationem a poetarum principe illos mutuatos esse pateat. Quod Macrobius omne opus Virgilianum velut de quodam Homeri operis speculo formatum esse dicit<sup>12)</sup>, idem de ceterorum epicorum carminibus censere possumus. Sed ceteri quoque poetae, qui alia

9) Plat. Phaed. c. 38. p. 69. ed. Heind. p. 173. ed. Wyttenb.

10) Est versus Ennii ap. Cic. de divin. I, 58.

11) Amor. lib. III. el. 9. v. 25 sq.

Adjice Maeoniden, a quo ceu fonte perennii

Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

12) Saturnal. lib. II. c. 2.

poeseos genera tractarent, lyrici, elegiaci, scenici, didactici, ex Homeri carminibus quasi ex refertissima cella penaria in suos usus multa converterunt, plurimaeque fabularum, quotquot adhuc supersunt, initia apud Homerum legi, ex eodemque fonte Graecorum tragoediam promanasse nec quisquam unquam negavit et nuper docte et copiose demonstratum est<sup>13)</sup>. Inclaruisse enim clarissimum Homeri ingenium Vellejus ait<sup>14)</sup> sine exemplo maximum, qui magnitudinae operis et fulgore carminum solus appellari poetam meruerit. Quod tamen his vere dictis scriptor Romanus addit, in Homero hoc maximum esse, quod neque ante illum, quem ipse imitaretur, neque post illum, qui eum imitari possit, inventus sit, in eo haud scio an non argutius quam verius dixisse existimandus sit, nam et multa, quae Homers narrat, ex antiquioribus carminibus, quae ante poetae Ionici aetatem extitisse nemo sane negaverit, sumpta esse patet, et post eum vixerunt, qui non sine mediocri laude eum imitarentur eique adeo urbanitate quadam atque elegantia orationis in rebus gestis moribusque hominum describendis palmam praeriperent, et notissimum est illud Horatianum, bonum quandoque dormire Homerum<sup>15)</sup>. Quod quidem omnium primus acumine ingenii animadvertit Aristarchus, cujus obelos sive virgulas, signa ἀθετήσεως, et lituras magnam inter criticos Homeri emendatores famam nactas esse satis constat<sup>16)</sup>. Etiamnunc mendis et erroribus suis non carere poetam, quis est, qui nesciat? Non recte tamen egisse mihi videntur Scaligeri et Itali quidam, quibus eam ob causam Virgilium Homero praeferre placuerit<sup>17)</sup>. Sed haec uberius persequi et longum est et non necessarium. Pergamus ad alia eruditionis genera et disciplinas, quibus poetam imbutum esse judicarunt. Paucis verbis, prout angusti scriptionis scholasticae limites patiuntur, haec indicasse sufficiat, in quo tamen nobis nonnihil curiosis esse liceat, ut ne quid praeteriisse videamur.

Cum antiquissima Ionum poesi conjuncta fuit fabularum sive mythorum de deorum et heroum dictis factisque enarratio, in qua libere fingenda et ingeniose exornanda Home-

13) Fr. Lindemanni progr. de fabularum tragicarum initiis, quae apud Homerum leguntur. Zittav. 1825.

14) Hist. Rom. lib. I. c. 5, quo in loco Orellius vulgatae lectioni posset praetulit possit, quod etiamnunc neminem Homeri imitatore extare scriptor significare voluerit.

15) Epist. ad Pisones v. 359.

16) Wolfius in proleg. p. 257 sqq. copiose de signis Aristarcheis disseruit.

17) J. Aug. Ernestii Opusc. orator. Lugd. Bat. 1762. p. 118.

rus utpote epicus poeta totus quasi occupatus fuisse facile intelligitur, neque adeo defuerunt, qui eum verae quoque historiae enarratorem haberent et poetae imaginationes et figmenta de diis rebusque Trojanis et Achaïcis ad rerum gestarum veritatem revocarent in iisque historiam gentium Asiaticarum latere opinarentur<sup>18)</sup>. Sed mittamus haec opinionum commenta atque vana grammaticorum somnia, jam dudum explosa; nihil enim, nescio quomodo, tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo grammaticorum<sup>19)</sup>. Quod vero Strabo, Hipparchi aliorumque geographorum auctoritatem sequutus, poetam geographiae peritissimum dicit ejusque disciplinae quodammodo ducem et conditorem celebrat<sup>20)</sup>; id quidem e permultis carminum Homericorum locis luculenter demonstratum et scriptorum utriusque linguae testimoniis confirmatum esse sciunt, quicumque historiam antiquae geographiae norunt. Sic, ut uno exemplo defungar, eam poetae scientiam de situ naturaque locorum, imprimis Graeciae, cujus magnam partem omnium primus accuratissime descripsit, notissimo illo versu laudat Silius Italicus, cui Homerus est

Carmine complexus terram mare, sidera, Manes.

Et tanta fuit apud Graecos in rebus geographicis auctoritas carminum Homericorum, ut, si quando urbes de terrarum possessione et finibus ambigerent, litem versibus ex Catalogo, antiquissimo eoque praestantissimo geographico monumento, accessitis composuerint, quod quater factum esse veteres tradunt, de Caledone, Sesto, Mycale, Salamine, cujus insulae causa, ut a Megarensibus in Atheniensium ditionem concederet, Solon dolo malo nobilem illum versum Iliad. libro II. 556 inseruisse dicitur<sup>21)</sup>. Quum igitur de Catalogi sive

18) Quod fecerunt Franciscus Blanthinus Italus in Historia universali et Gerardus Croesius Batavus in Homero Hebraeo, qui liber prodiit Dordraci 1704. 8. Vide Fabricii Bibl. Graec. T. I. p. 345 sq.

19) Sunt verba Ciceronis, de philosophorum ineptiis usurpata; de Divin. II, 58. Quibus adde proverbium illud ab Athenaeo lib. XV. p. 666 servatum: *Εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον.*

20) Rer. geogr. lib. I. c. 1. p. 2. ed. ster. *ἀρχηγέτην εἶναι τῆς γεωγραφικῆς ἐμπειρίας Ὅμηρον.* Conf. B. Fr. Laueri librum de historia poeseos Homericæ (Literarischer Nachlass von J. Fr. Lauer. Erster Bd. Zu Homer.) Berol. 1851, in quo de eruditione Homeri p. 1—68 docte et accurate expositum est.

21) Eustath. ad Iliad. II, 494. Plut. v. Solon. c. 10. Diogen. Laert. I, 48. Strabo IX. T. II. p. 237. ed. ster. Quinctil. inst. orat. V. 11. T. 1. p. 315. ed. Bip. remque affirmat Aristoteles Rhetoric. I, 15. paucis: apertisque verbis: *Ἀθηναῖοι Ὀμήρου μύστροι ἐχρήσαντο περὶ Σαλαμῖνος.*

*Βοιωτίας* praestantia tam magnifice sentiret omnis antiquitas eique libro fidem historicam adjudicaret, factum est, ut non modo multi et ante omnes quidem Strabo summis poetam laudibus celebraverint commentariisque copiosissimis hanc Iliadis rhapsodiam illustraverint, ut Apollodorus Atheniënsis, qui duodecim libros de navium recensu (*περὶ νεῶν καταλόγου*) conscripsit; et Demetrius Scepsius, quem triginta librorum commentarium (*τὸν Τρωικὸν διάκοσμον*) confecisse constat, quibus, nunc deperditis, Strabo multis in locis usus est<sup>22</sup>); sed etiam ex quarundam civitatum legibus pueri catalogum illum Homericum memoriter ediscere jussi fuerint: quod quidem ut fieret, Cercidam, qui leges scripsit Megalopolitanis, instituisse accepimus<sup>23</sup>). Et Cercidam illum maxime *φιλόμηρον* fuisse apparet ex iis, quae moriens dixisse familiaribus suis fertur, bono se animo hac vita excedere; sperare enim se in campis Elysiis conventurum ex philosophis Pythagoram, ex historicis Hecataeum, ex musicis Olympum, ex poetis Homerum<sup>24</sup>). Quid? quod ex accuratissima Graecarum urbium regionumque descriptione Homericam poetam non caecum fuisse jam veteres quidam scriptores conjecerunt, eoque argumento etiam Cicero usus est<sup>25</sup>): „Traditum est etiam, inquit, Homerum caecum fuisse. At ejus picturam, non poesin, videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, ut, quae ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Quid ergo? aut Homero delectationem animi ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse unquam arbitramur? Concedamus poetae hanc laudem de Troadis et Graeciae, non de ceterarum regionum notitia, quae quam manca, incerta, fabulosa angustisque conclusa finibus fuerit, nemo melius ac planius exposuit quam Io. Henr. Vossius, quo accuratiorem, cautiorem, magis sobrium magisque literatum in perscrutandis antiquae

22) Apollodori fragmenta collegit Heynius ad ejusdem Bibliothecam in ed. maj. Götting. 1803. p. 417 — 431. De Demetrio Scepsio conf. Strabo, lib. XIII. p. 609 Tom. III. p. 125. ed. ster. *Ἐκ δὲ τῆς Σκήψιος (τῆς Τρωάδος) καὶ ὁ Δημήτριός ἐστιν, ὃς μνημεῖα πολλάκις, ὃ τὸν Τρωικὸν διάκοσμον ἐξηγησάμενος γραμματικὸς, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς Κράτηρι καὶ Ἀριστάρχῳ.*

23) Eustathius ad Iliad. lib. II. v. 494 profert de hoc instituto verba Porphyrii: *ὅτι νόμους τινὲς ἐξέθεντο ἀποστοματίζειν τοὺς παιδευομένους τὸν Ὅμηρον κατάλογον ὡς καὶ Κερκιδᾶς νομοθετῶν τῇ πατρίδι.*

24) Aeliani var. hist. lib. XIII. 20.

25) Qu aest. Tuscul. lib. V. 39, 114.

geographiae fontibus literarumque monumentis recte explicandis atque illustrandis extitisse neminem arbitror<sup>26</sup>). Verum jam viderat Eratosthenes, quem jure parentem geographiae dixeris, ejusque sententiam de hac re laudat Apollodorus apud Strabonem; dixerat enim geographus ille Alexandrinus, Homerum ceterosque veteres Graeciae quidem utpote patriae accuratorem habuisse notitiam, de peregrinarum vero terrarum situ ac natura perpauca eos scire; ignaros enim esse longorum itinerum, quum tellus nondum in longas patefacta esset vias, imperitos etiam per alta maria navigandi<sup>27</sup>).

Iam quum grammatici et commentatores Alexandrini eandem doctae eruditionis copiam et variarum disciplinarum scientiam, quibus ipsi vanam scilicet sibi gloriolam quaerent, Homero, principi omnium poetarum divinarumque omnium inventionum origini et fonti<sup>28</sup>), certatim adscribere non dubitarent, denique cujuslibet scientiae vestigia in carminibus Homericis indagarent, non mirum cuiquam videbitur, quod ex eorum hominum sententiis poeta mathematicae, astronomiae, astrologiae habeatur peritissimus. Quas quidem tres disciplinas antiquis temporibus inter sese conjunctissimas et quodammodo unam eandemque fuisse, non est quod multis verbis hoc loco doceam. Cuiam liberalium artium studioso non noti sunt numeri Babylonii illi et mathematici imperatorum Romanorum a Suetonio et Tacito saepe commemorati<sup>29</sup>)? Unde factum est, ut mathematicorum nomen, alio-

26) Inscriptus est Vossii libellus praestantissimus: *Alte Weltkunde*; *Ephemerid. literar.* Ienensibus anni 1804 insertus. Haec viri acutissimi verba apponam: „Homer und die nächstfolgenden konnten, ohne Eingebung des Wahrsagergottes, keine ausgebreitete Kenntniss des Erdbodens haben, weder durch einheimische Nachrichten, noch durch Erzählung weltkundiger Fremdlinge. Das beweist die ganze Verfassung der alten Welt, das beweisen die auffallendsten Beispiele der Unkunde rings um Griechenland her, die schwerlich durch allegorische Deutung zu beschönigen sind.“

27) Strab. lib. VII. c. 3. p. 298. ed. Cas. T. II. p. 77. ed. ster. quem locum omisit Heynius in collectione fragmentorum Apollodori. Ἐπαινεῖ γὰρ (Ἀπολλόδορος) Ἐρατοσθένην ἀπόφασιν ὅτι φησὶν ἐκείνος καὶ Ὅμηρον καὶ ἄλλους τοὺς παλαιούς τὰ μὲν Ἑλληνικὰ εἰδέναι, τῶν δὲ πόρρω πολλὴν ἔχειν ἀπειρίαν ἀπείρους μὲν μακρῶν ὁδῶν ὄντας, ἀπείρους δὲ ναυτιλλέσθαι.

28) Sunt verba Macrobii, *Saturn.* lib. I. 23.

29) De numeris Babylonii conf. interpretes Horatii ad lib. I. od. 11, 2. ad quem locum Porphyrius adnotat: „mathematicos intellige. Babylonii enim astrologiam invenisse traduntur, per quam genesis colligitur.“ De mathematicis sive astrologis Romanorum videsis Suetonii *vitas* Aug. 94. Tib. 14. 36. Calig. 57. Ner. 40. Oth. 4. Vitell. 14. et interpretes ad Taciti *Historiarum* lib. I. c. 22 et Lipsii *excursum* ad ejusdem *Ann.* lib. II. c. 32 sub lit. G.



quin honorificum, apud Romanos in contemptum abiret. Idem ille Crates, quem supra jam commemoravi, et Apion, grammaticus Alexandrinus, cognomento *μύθος* notus, fuerunt, qui primi poetam, invitum credo ac tergiversantem, qui pauca tantum sidera nominibus suis appellasset et perexiguam astrorum cognitionem in carminibus ostendisset, astronomum esse dicerent, eidemque Heraclitus, commentarii in Homerum ab Eustathio saepe laudati scriptor non ignobilis, astrologiae peritiam attribuit: mathematicum autem auctor brevium scholiorum Homerum appellat, rerum scilicet coelestium bene gnarum<sup>30</sup>). Sed missam faciamus eam, quam nunquam poeta affectavit, praedicationem inanem illam, ab allegorica interpretandi ratione profectam. Rectius forsitan Porphyrius in libello de antro nympharum c. XII. Homerum appellaverit theologum, quia hoc cognomen gravissimo illo Herodoti loco, quo Homerus et Hesiodus primi conditores sive auctores theogoniae Graecorum dicuntur, affirmationem quandam nactum est. Illi enim poetae, qui primi Graecis theogoniam fecisse dicuntur, religiones, munera, cultus formasque deorum et docuerunt et novis ingenii figmentis excoluerunt<sup>31</sup>). Theologia autem quum sine sapientiae studio sive philosophia per se consistere nequeat, ne vates Ionicus quidem ab ea alienus esse potuit. Etenim philosophia quum Ptolemaeorum aetate magna floreret auctoritate, omnesque grammatici critici-que Alexandrini et Pergameni philosophi esse vellent, quid mirum, si Homerus quoque, quem omnium liberalium artium magistrum isti colebant, opera commentatorum ejus male sedula philosophus factus est. Nec pauci ex illorum scholis viri docti evaserunt, qui de poetae philosophia libros conscriberent, nunc temporum injuria deperditos<sup>32</sup>). Qui philosophi, variarum scholarum illa aetate florentium asseclae, ut in Homericis carminibus praecepta ejusdem philosophiae, quam ipsi sequebantur, invenirent, ope allegoricae interpretationis utebantur et, quod vix evitari poterat, studio indagandi et intemperata quidlibet ineptia-

30) ad Iliad. V, 385. ed. Bekkeri T. I. p. 160. agit ibi interpres de Oto et Ephialte, filiis Aloeï, et de physica hujus fabulae significatione: *οἱ δὲ φασὶ ἐν τῇδε τῇ ἱστορίᾳ περὶ τῶν μετεώρων διαλέγεσθαι τὸν Ὅμηρον, μαθηματικὸν ὄντα.*

31) Lib. II. 53. *Οὔτοι δὲ (Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος) εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμὰς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἶδεα αὐτῶν σημῆνατες.* De quo loco disseruerunt G. Hermannus et Creuzerus in Epistolis de Homero et Hesiodo. Heidelb. 1818 p. 10 sqq. De theologia HomERICA scripsit C. Fr. Nägelsbach. Nürnberg. 1840.

32) Nomina eorum, qui de philosophia HomERICA commentarios scripserunt, leguntur in Fabricii Bibl. Graeca. Tom. I. c. V. p. 330 sqq. Adde Dieterici diss. de philosophia Homeri. Vitemb. 1704.

rum fingendi libidine a recti iudicii norma ac veritatis via deflectentes ad luxuriantis imaginationis ludibria, sano interprete indigna, deferebantur. Quibus ingenii male acuti lusi- bus et deliramentis si quis est, qui delectetur, ex Eustathii commentario et scholiis ad utrumque poetae opus scriptis opiparam sibi coenam parare potest. Ceterum jam circa Olymp. LXIII., in qua Pisistratus decessit, carmina Homerica ad quaestiones exquisitae sapientiae trahi et ad allegoricam intelligentiam interpretando torqueri coepta esse quum alia scriptorum antiquorum testimonia docent, tum apertus summi philosophi Atheniensis locus confirmat.<sup>33)</sup> Significat autem ἀλληγορεῖν ex Dionysii Halicarnassensis (de arte rhetorica c. 9.) praecepto rebus non suum, sed alienum tribuere nomen, ita quidem, ut ex indiciis quibusdam suum cuiusque rei nomen καθ' ὑπόνοιαν subintelligatur, et si quis ita rem eloquatur, ut aliud intelligi velit, quam quod eloquitur, eum καθ' ὑπόνοιαν λέγειν Graeci dicebant. Allegoria quum in philosophorum et sophistarum scholis, ex quibus eruditi interpretes Alexandrini aliique prodierunt, uti coepta esset, duplex interpretum allegoricorum genus extitit, unum eorum, qui fabulas poetarum ad res physicas et rerum elementa referrent, quam interpretandi rationem, Stoicorum auctoritate commendatam, ab Alexandrinis grammaticis, ab Eustathio, atque in eo, qui Heraclidis Pontici nomine circumfertur, libello de allegoriis Homericis initam esse scimus;<sup>34)</sup> alterum eorum, qui narrationes poetae de heroum factis moribusque in morales sententias sive morum praecepta converterent, quibus res humanae sapienter administrari omnisque vita commode temperari possent. Ita Hippiam Eleum Homeri carminibus ad imbuendam utilibus praeceptis juventutem usum esse Plato nos docet in dialogis Hippiae nomine inscriptis. Ex utroque genere interpretationis allegoricae

33) Plato de rep. lib. II, 18. p. 249 sq. T. VI. ed. Bip. καὶ Θεομαχίας ὅσας Ὀμηρος πεποίηκεν οὐ παραδεκτέον εἰς τὴν πόλιν, οὐτ' ἐν ὑπονοίαις πεποιημένας, οὐτ' ἄνευ ὑπονοϊῶν ὁ γὰρ νέος οὐχ ὀϊόσ τε κρίνειν ὅ,τι τε ὑπόνοια καὶ ὁ μή. Cui loco adjiciam C. A. Böttigeri verba, de allegorica mythorum explanatione disserentis: „Endlich tritt Plato ein, wo nicht Erfinder, doch mächtiger Beförderer der allegorischen Auslegung, indem er nur durch Unterlegung eines geistigern Sinnes (ἐν ὑπονοίαις) den Mythos der Volks- und Dichterreligion zu retten weiss. Weiterhin bildet die stoische Schule ihrer Physik eine dichterische Einkleidung durch Allegorisierung des homerisch-hesiodeischen Mythos.“ Ideen zur Kunst-Mythologie, Bd. I. S. 177. De allegoria artificum monumentis expressa, et quae in eorum explicatione observanda, quaeque vitanda sint, optime omnium exposuit libello praestantissimo Winkelmannus: Versuch einer Allegorie der Kunst. Dresden 1766. Adde Creuzeri Mythol. et Symbol. T. I. p. 68 sqq. ed. sec.

34) Schowii comment. critica in allegorias Homericas p. 226 sqq. adjecta edit. Heraclidis Pontici.

unum exemplum, quod nobis Homeri carmina relegentibus ultro sese offert, attulisse sufficiat: quorum alterum est de Vulcano a Iove in insulam Lemnum dejecto fabula, inserta Iliadis libro I, 589 — 594, qua Eustathius, Alexandrinorum commentatorum explanationes adhibens, docet, poetam hac narratione significare voluisse igneam insulae naturam, nam ex media ea insula olim flammam magna cum vi erupisse et calidos scaturire fontes, indicia caloris et ignis subterranei; itaque Vulcanum, signum ignis terrestri, ad rem accommodate in insulam illam ignitam demissum esse. Alterius generis exemplum, quod doctrinam de morum praeceptis attingit, sumere juvat ex Odysseae libro X, 229 sqq. quo loco de Ulixii sociis Circae veneno in porcos mutatis narratur, qua fabula vim voluptatum tantam esse ex illorum interpretum sententia Homerus declaravit, ut, qui deliciis Bacchi Venerisque nimis indulgeant, porcorum more vitam agant sordidam et obscenam<sup>35)</sup>. Quid mirum igitur, quod Longinus, rectissimi alioquin iudicii vir, Stoicae disciplinae praeceptis imbutus, in praeclaro de sublimitate libello, cujus lectionem adolescentibus in liberalibus artibus studia collocantibus facere non possum quin quam maxime utilem et jucundam cominendem, complura in Homeri carminibus reperiri docet, quae non nisi per allegoriam ab impietatis et indecori crimine vindicari possint<sup>36)</sup>. Et multis saeculis ante illum idem impietatis crimen propter tot ficta seu pulcherrimis versibus ornata mendacia Homero inferre non veritus erat Heraclitus Ephesius, poetam dignum esse censens, qui ex certaminibus eiceretur colaphisque caederetur<sup>37)</sup>. Pindarum quoque, ut impietatis in deos crimen fugeret, fabulas nonnullas in meliorem sensum interpretatum fuisse novimus, uti de Pelope, a diis gustato, in

35) Ad eundem sensum spectant verba Socratis Xenophontei, Memorab. I, 3, 7, et Horatii Epist. I, 2, 23 sqq.

Sirenum voces et Circae pocula nosti;

Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,

Sub domina meretrice fuisset turpis et excors;

Vixisset canis immundus vel amica luto sus.

36) De Sublimitate, sect. IX. Laudato Homeri loco Iliad. XX, 61 — 65. pergit scriptor: *ἀλλὰ ταῦτα φοβερὰ μὲν, πλὴν εἰ μὴ κατ' ἀλληγορίαν λαμβάνοιτο, παντάπασιν ἄθρα καὶ ὄν σώζοντα τὸ πρόεπον.*

37) Diog. Laert. IX, 1. *Ὅμηρον ἔφρασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγῶνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ὑπαπίζεσθαι, καὶ Ἀρχίλοχον ὁμοίως.* Et Pythagoras, quum ad inferos descendisset, vidisse se animam Homeri narrabat, *χορημαμένην ἀπὸ δένδρου, καὶ ὄφειε περὶ αὐτήν, ἀνθ' ὧν εἶπε περὶ θεῶν.* Diog. Laert. VIII, 1, 19.

primo Olympiorum hymno cecinit. Inter philosophos inprimis Metrodorus Lampsacenus in libro de Homero fabulas ejus ad physicas rationes deflexit, totamque illam coelestem nomenclaturam interpretationem esse naturae affirmavit, ut exemplis a Tatiano in oratione contra Graecos commemoratis intelligitur. Anaxagoras autem, qui primus de virtute et justitia doctrinam Homericis carminibus contineri dixerat, auctor ethicae sive moralis interpretationis fuisse videtur, suorumque studiorum Socratem, Platonem, Stoicos aliosque sapientes habuit aemulos et imitatores<sup>38)</sup>. Quicumque igitur ad civitates administrandas accedere vellent, Trojani belli scriptorem sibi sumebant magistrum ac ducem,

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

Planius ac melius Chrysippe et Crantore dixit<sup>39)</sup>.

Ex eodemque fonte vatis Maeonii civilem quae dicitur prudentiam sibi hausisse regnorum conditores legumque latores, inprimis Lycurgum Lacedaemonium et Solonem Atheniensem, constans est antiquitatis fama, et inde orta esse mihi videtur fabula de Lycurgo, qui primus carmina illa, de quibus obscura tantum fama inter Peloponnesios et Atticos divulgata tum erat, in Ionia apud posteros Creophyli cujusdam forte reperisse eaque literis descripta in Peloponnesum rediens secum tulisse dicitur<sup>40)</sup>. Fabulam mihi illam Plutarchi narrationem appellatam esse noli mirari, quum mihi sit persuasissimum, ipsam Lycurgi personam non veram, sed ex Doriensium religionibus et traditionibus fictam et serius in historiae formam redactam esse: quumque vox totius antiquitatis et consentiens fama testetur, non fabulosum illum Lycurgum, sed Pisistratum, tyrannum Atheniensium, tribus fere saeculis illo minorem, carmina Homeri primum consignasse litteris et poetae libros, confusos antea, sic disposuisse, ut nunc habemus, de hac re, tot certissimis testimoniis comprobata, post Fr. Aug. Wolfii quaestiones nulla esse potest controversia.

Sed haec in transitu leviter attigisse sufficiat. Iam revertamur ad sapientiae praecepta et bene beateque vivendi regulas, quae carminibus Homericis continentur. Eos autem

38) Diog. Laert. II, 3, 7. *Δοκεῖ δὲ πρῶτος (Ἀναξαγόρας) τὴν Ὅμηρον ποιήσιν ἀπορήναθαι εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης.* Conf. Greg. Guil. Nitzschius in proleg. ad Plat. dial. Ion. p. 13. cap. III. Socratis et Socraticorum de poetis judicia.

39) Horat. Epp. lib. I, 2, 3 sq.

40) Plut. Lycurg. c. 4. Wolfii Proleg. ad Hom. 139 sqq.

praestantissimos locos Grammatici sive praeceptores puerorum Graecorum prudenter seligebant et decerpebant, quae discipuli, simulatque primis litterarum elementis imbuti essent, quotidie lectitantes memoriae exercendae et elegantiae in dicendo scribendoque sibi comparandae causa, simulque ut animos moresque rudes ad humanitatem conformarent atque emenderent, ediscere et recitare jubebantur, quod ex Platonis, Luciani, Quintilianii aliorumque scriptorum veterum locis in hanc rem a Barthelemyo, sagacissimo veteris Graeciae indagatore, aliisque recentioribus, qui de veterum educatione et institutione puerili commentarios ediderunt, laudatis luculenter apparet<sup>41)</sup>. Quae de usu poetarum in institutione puerili Petrus Burmannus disserit, ea nostris quoque puerorum magistris etiam atque etiam commendanda animisque inculcanda esse duco, nec facere possum, quin verba viri de litterarum studio meritissimi hoc loco apponam: „In poetis studiorum puerilium rudimenta posuisse veteres, non sine ratione factum: partim quia credebant illos optimos morum et virtutum magistros, praecipue vero in Homero perfectam et consummatam omnium disciplinarum cognitionem fuisse statuebant, et in carminibus ejus principia et semina omnis doctrinae abscondita: quare ejus versibus in unaquaque re, tamquam praeceptis et canonicibus, utebantur: infigendi ergo illi erant pueris. Praeterea eos movit, quod omnis deorum et religionis ratio poetarum fabulis comprehendebatur, ideoque pueri prius imbuendi erant hujus theologiae cognitione, antequam ad graviora studia transirent: accedebat, quod ex poetarum commercio stili elegantiam et eloquentiam optime conciliari posse credebant. Vide haec de Graecis egregie tradentem Strabonem lib. I. pag. 15, et praecipit Quintil. I. de Inst. orat. c. 8. ut ab Homero et Virgilio lectio incipiat.“ Haec Burmannus<sup>42)</sup>. De

41) Plato de Rep. lib. II, p. 377. de Leg. lib. VII. p. 811. Protag. p. 325. Vol. VI. p. 246. VIII. p. 365. III. p. 118 ed. Bipont. Lucian. Anachars. c. 21. Lexiphan. c. 22. Quintil. inst. orat. I, 8. Gell. N. A. II, 14. Horat. Ep. II, 1, 126 sqq. His adde Facciolati orat. IX, qua docet, moralem institutionem magis a poetis quam a philosophis petendam esse. „Quicumque enim, inquit orator Patavinus idemque optimus magister et grammaticus, aliquo doctrinae genere excellunt, suoque ordine censentur, theologi, philosophi, jurisperiti, olim a poeticis scholis exierunt, in quibus scientia omnis parta est atque unice culta, ut Strabo, ut Plutarchus, ut Maximus Tyrius, ut ille, qui unus nominari poterat, M. Cicero, nullo ferme repugnante, tradiderunt.“

42) Ad Petronii Satyr. c. 5. T. I. p. 33. ed. Burm. Disseritur hoc loco de ordine studiorum, quorum principium sit poetarum lectio, quam sequatur philosophiae tractatio et forensis exercitatio, eamque postremo excipiat historiae studium. Itaque puer, liberalibus artibus imbuendus, „det primos versibus annos Maeoniumque bibit felici pectore fontem“

cujus consilio, praeceptoribus antiquarum linguarum potissimum dato, quum plura addere hoc quidem tempore non liceat, ad reliqua pergamus.

Ubi sapientiae studia vigent, ibi eloquentiae quoque vestigia facile inveneris; idque cum laudata Homeri eruditione multiplici ac varia congruere nemo non videt. Namque poetis, qui et ipsi antiquissima aetate dicti sunt docti et sapientes, quum proxima intercedat cognatio cum oratoribus sive finitimus oratori sit poeta: eloquentia autem primaria pars institutionis et eruditionis, quam nomine *ἐγκυκλίον παιδείας* amplexi sunt Graeci, et habita sit et vere fuerit; mirari desinamus, poetam Homerum, summum omnium liberalium artium magistrum, a laudatoribus suis oratorem eloquentiaeque doctorem factum esse, praesertim quum ipse iis ingenii animique dotibus ac virtutibus mirifice oratus naturaque praeditus esset, quibus bonus orator excellere debebat: quas quidem a Cicerone in praestantissimo de Oratore libro copiosius descriptas hoc loco enumerare longum est. „Neque enim, inquit ille in Bruto<sup>43)</sup>, jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus et Nestori, (quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem,) nisi jam tum esset honos eloquentiae; neque ipse poeta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuisset.“ Oratorem autem mirae lenitatis ac suavitatis,

*τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ἦεν ἀνδρῆ<sup>44)</sup>,*

Homerus nobis adumbravit Nestorem, cujus in dicendo vim et dulcedinem veteres scriptores certatim laudarunt, in primis praeter Ciceronem et Quintilianum Graeci rhetores Himerius et Dio Chrysostomus<sup>45)</sup>. At quas legimus ejus orationes in Iliad. lib. XXIII, 526 sqq. eas a suavitate quidem et naturali arte priorum multis partibus diversas et a dulci facundia senis Pylis abhorrere facile quemque sensurum et agniturum esse arbitror, qui iterata lectione orationes Nestoreas, quae et libris Iliadis prioribus et hoc vicesimo tertio continentur, cogitate et accurate inter se comparaverit. Inde facile conjectura assequetur sibi que peruebit, istum librum a reliquis distinguendum et alius senioris poetae, non antiquissimi Homeri, foetum esse, in quo imitatoris vestigia plura reperisse sibi videntur inter-

43) s. libro de claris oratoribus c. 10. §. 40.

44) Iliad., I, 249; itaque Ausonius epist. XVI. iamb. mellifluentem appellavit Nestorem, et melliflui oris, Boeth. de cons. phil. V. metr. 2. et Homerici senis mella profluere amico loquenti eleganter dixit Plinius Ep. IV, 2, 3.

45) Drück: de eloquentia Homeri. Stuttg. 1779. 4.

pretēs<sup>46)</sup>. Et in Odyssea verbosum magis, quam disertum, in nonnullis adeo loquacem offendes Nestorem, cujus oratiunculas ex alio fonte manasse apparet atque illas, quae Iliadis prioribus libris continentur<sup>47)</sup>. Sed quum poeta non solum in hujus herois persona, sed in aliis quoque heroibus varia perfectae et ad cujusque dicentis mores et ingenium accommodatae eloquentiae exempla edidisset seque artis rhetoricae, qualis seriori demum aetate exculta est, bene gnarum ostendisset, inde factum est, ut et ipse orator diceretur. Illamque oratorum Homericorum diversitatem ac proprietatem breviter et apposite descripsit Ausonius<sup>48)</sup>: „Certent huic sententiae veteres illi et Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus et instar profundae grandinis ductor Ithacesius et melleo delibutus eloquio jam tertiae Nestor aetatis: sed neque ille concinnius eloqueretur, qui se Laconica brevitate collegit, neque ille contortius, qui cum sensibus verba glomeravit, nec iste dulcius, cujus lenis oratio mulcendo potius, quam extorquendo persuasit.“ Quibus verbis addere placet Quintilianum de heroicis oratoribus iudicium<sup>49)</sup>: „Nam et Homerus brevem quidem cum animi jucunditate, et propriam (id enim est non errare verbis) et carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit: quae sunt virtutes generis illius primi (sc. subtilis). Et ex ore Nestoris dixit dulciorem melle profluere sermonem: qua certe delectatione nihil fingi majus potest. Sed summam aggressus, ut in Ulysse, facundiam, magnitudinem illi junxit: cui orationem nivibus hibernis et copia verborum atque impetu parem tribuit.“ Omnium autem generum dicendi poetam esse auctorem et exemplar, quod omnibus imitandum pro-, posuerit Graeca antiquitas, plane singulare, Quintilianus, ut unum pro multis testem eumque certissimum adducam, optime exposuit<sup>50)</sup>: „Igitur ut Aratus a Iove incipiendum putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur. Hic enim, quemadmodum ex Oceano dicit ipse annium vim fontiumque cursus initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in parvis proprietate superavit. Idem laetus ac pressus, jucundus et gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec poetica modo

46) Primis lineis hanc Nestoris Homerici diversitatem adumbravit C. Dan. Beckius in dissertatione, qua Decennalia V. Fr. Aug. Sax. reg. indicit Acad. Lips. 1818. Hoc in Iliade legenda diligenter observent tirones literarum studiosi, in posterioribus libris inde a XVII. rarius et obiter tantum Nestoris mentionem fieri et in postremis plane alium describi, mitemque et clementem regem lib. XXIII, 30 2. *ὑπέροθυμον ἄνακτα* dici.

47) Odys. III, 102 sqq. 211 sqq. 254 sqq. Hunc igitur Nestorem in vitium *λαλιᾶς* sive garrulitatis incidisse discimus ex Luciani Nocyom. c. 18.

48) Gratiar. action. c. 8. p. 288 ed. Bip.

49) Instit. orat. XII. 10, 64. vol. II. p. 382 ed. Bip.

50) *ibid.* X, 1, 46 — 51.

sed oratoria virtute eminentissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam; nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in secundo sententiae, omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem, vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, nonne in utriusque sui operis ingressu paucissimis versibus legem prooemiorum non dico servavit, sed constituit? Nam et benevolum auditorem invocatione dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et docilem summa celeriter comprehensa facit. Narrare vero quis brevius, quam qui mortem nuntiat Patrocli, quis significantius potest, quam qui Curetum Aetolorumque proelium exponit<sup>51)</sup>? Iam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta, ceteraque, quae probandi ac refutandi sunt, ita multa, ut etiam, qui de artibus scripserunt, plurimi harum rerum testimonium ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus aequari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit, virtutes ejus non aemulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit; epicos tamen praecipue: videlicet quia durissima in materia simili comparatio est. Et quum veteres artis oratoriae magistri et in poesi et in soluta oratione tres dicendi genera constituerint, quae Graeci *χαρακτήρας* appellant, quorum primum ubertate orationis, alterum gracilitate vel subtilitate, tertium mediocritate insigne est, eadem ab Homero antiquitus jam in trium heroum orationibus tradita esse testatur Gellius<sup>52)</sup>: „magnificum in Ulixee et ubertum, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore.“ Denique Cicero, summus in hac re judicanda auctor, vatem Maeonium plane oratorem esse affirmat, quocum consentit incertus scriptor libelli de poesi Homeri, qui poetam orationis artificem nominat.<sup>53)</sup> Iam persecuturo mihi reliquas, quas supra proposui, hujus commentarioli partes in hac quidem oratoria Homeri multiscii virtute subsistendum est; plura enim nunc addere angustiae spatii hisce schedis destinati prohibent. Alio igitur tempore, si Deus O. M. vires scribendique occasionem dederit, quae restant, pro virili parte tractabimus et ad umbilicum adducemus.

51) Verba Antilochi mortem Patrocli Achilli nunciantis haec sunt: *κῆται Πάτροκλος!* Iliad, XVIII, 20.  
De Curetum Aetolorumque pugna vid. Iliad IX, 529 sqq.

52) Noct. Att. lib. VII., 14. T. I. p. 285. sq. ed. Bip.

53) Hom. Opp. ed. I. A. Ernesti. Vol. V. p. 238. *καὶ ὅτι μὲν τεχνίτης λόγων Ὅμηρος, πᾶς τις ἂν ἔποιε ἐν φρονῶν.*